

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS MEDICO - PRACTICA**  
**DE**  
**BALNEIS FRIGIDIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOM.

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI DECANI

NEC NON

CELEBERRIMORUM AC CLARISSIMORUM

DD. PROFESSORUM

DOCTORIS LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN CELEBERRIMA REGIA

SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

**ADOLPHUS LENK,**

HUNGARUS.


*In Theses calci adnexas disputabitur in aedi-  
bus Facultatis Medicae die Maji 1832.*

**ILLUSTRISSIMO**

**A C**

**MAGNIFICO DOMINO**

**SAMUELI A LIEDEMANN**



**AULAE CAESAREO - REGIAE FAMILIARI, INSIGNIS  
ORDINIS LEOPOLDI EQUI, SACRATISSIMAE CAES.  
ET REGIO - APOSTOLICAE MAJESTATIS CONSILIARIO  
ACTUALI, AD EXCELSAM CAMERAM AULICAM  
REFERENDARIO, etc. etc.**

**V I R O**  
**ERUDITIONE, BENEVOLENTIA, NOBILITATE**  
**C L A R O.**

**LITERARUM ET ARTIUM FAUTORI ET PROMOTORI**  
**I N D E F E S S O**  
**MAECENATI SUO MUNIFICENTISSIMO**  
**IN PIGNUS PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS**  
**ET PERENNIS GRATITUDINIS**  
**TENUES HAS PAGELLAS**

**OFFERT**

*gratissimus auctor.*

**Balneum**, sensu latiori sumtum, est mora totius corporis, vel partis ejusdem certae, in medio quodam, a fluido aëris diverso, sive liquidæ, sive aëriformis fuerit indolis.

Strictiori autem sensu sumtum est immersio corporis, totalis vel partialis solum, in aquam nunc simplicem, nunc materiis quibusdam peregrinis et singularibus onustam et imprægnatam.

Secundum diversitatem mediï, balnea triplici respectu considerari possunt, disceduntque in :

1.) Balnea aquae.

2.) Balnea gasiformia seu vaporosa.

3.) Balnea lutum \*) (caenum) continentia — balnea arenae, balnea animalia.

Ratione extensionis discedunt in *universalia*, dum totum corpus fluido dicto immergitur, et *localia* (topica, partialia), ubi pars tantum certa corporis, pro ratione indicationis a medico factae et adprobatae, in contactum venit cum medio antea nominato.

Dispescuntur dein in *simplicia*, quae aqua simplici et vulgari fluminum et puteorum constituit, et *medicata*, diversis materiis et salibus eminenter imprægnata, quibus etiam nomen *thermarum* impertitum est; qualia essent ea, quae acido hydrothyonico, ferro, jodo et s. p. graves, sua in sanandis diversis morborum generibus et speciebus utilitate non destituuntur.

---

\*) Lutum, caenum, limus est praecipitatum aquarum soteriarum aut solum, aut connubium praecipitati hujus cum diversarum terrarum speciebus.

Quoad temperaturae gradum demum dividuntur balnea in *valde frigida, frigidiuscula, tepida, calida, et summe calida.*

Missas faciendo ceteras balneorum species, hic solum balnea aquae simplicia, quoad temperaturae gradum frigida, penitius disquiremus, ita quidem, ut a consideratione universalium exorsi, ad localia et partialia demum transitori, horum omnium indicationem et contraindicationem, in diversis morborum generibus et speciebus exhibeamus.

Balnea frigida, prout rite adhibita in multis malis egregium offerunt medico remedium, per nullum aliud supplendum, — in conservanda etiam prospera valetudine sua non destituta utilitate; — ita contra intempestive, sine consilio prudentis medici adhibita, salutem hominum subvertere et pessumdare valent, quod quotidiana nobis experientia clarissime evincit.

### Brevis balneorum historia.

Usus balneorum primitivus in easdem recidit tenebras, quae et ipsius gentis humanae sortem primitivam abscondunt. Sapientes legislatores balnea inter ritus religiosos retulerunt, talique pacto ea constantem nacta sunt durationem. Hae ratione devenere Indis, Aegyptiis, Persis, Assiriis et asseclis religionis mosaicae in usum, qua ex causa, imo et qua praesidium diaeteticum adhibentur moderno quoque aevø a pluribus populis orientem incolentibus.

Balnea vetustissima a Graecis in usum vocata fluvialia erant. Hocce balneum frigidum Pythagoras, ut et ejus discipuli maximis celebrarunt encomiis. — Lacedaemonii aestate et hyeme ute-

bantur balneis fluvialibus, — imo et infantes eorum neonati iis immergebantur.

Romani antiquissimis jam temporibus in flumine Tiberi nabant, ibidemque varia instituebant pericula gymnastica. — Per Antonium Musa, archiatrum imperatoris Augusti, et ejus fratrem Euphorbum balnea frigida magnam assecuta sunt auctoritatem et fidem publicam. Imperator enim nominatus svasu medici sui, eorum usu a morbo quodam chronico liberatus est. — Seriore tempore usus balneorum frigidorum per Asclepiadem, Aretaeum, Soranum, Agathinum magis magisque invaluit.

Sub initium saeculi 3<sup>ii</sup> post Ch. n. imperator Severus svadente Lampridio a doloribus articulorum, jam chronicam durationem adeptis, feliciter sanatus est.

Germani quoque veteres magni erant balneorum cultores. Referente Tacito et Herodiano illis solummodo fluvialia fuerunt nota et usu recepta.

Ab his temporibus eadem nunc oblivioni magis tradita, nunc per tempus certum magnis cumulabantur laudibus, — donec sub initium saeculi proxime praeterlapsi a medicis Angliae magnopere commendata et laudata, et ad vicina confinia regna, indeque latius per universum fere orbem terraqueum extenderentur. Ita ut in praesentiarum, cum plurimis hominibus in usum imo et abusum diaeteticum abiverint, magna ab iis salus exspectanda, — verum sub certis conditionibus damnum etiam irreparabile timendum sit.

Ut effectus balneorum frigidorum totalis in organismum humanum vivum in omnem partem rite aestimari queat, sequentia nobis considerata

veniunt: actio generalis balneorum frigidorum, gradus frigoris, aquarum conditio, aetas balneantis, sexus, temperamentum, idiosyncrasia, — tempus.

### Actio generalis balneorum frigidorum.

Eruitur haec, si non solum determinatus temperaturae adhibitae gradus, verum ipsa etiam pressio aquae scrutinio subjiciatur. Duo autem, a se invicem toto coelo differentia momenta, hic distinguenda veniunt. Momentum 1mum Contractio et constrictio organorum periphericorum corporis animalis vivi, turgoris vitalis et caloris animalis imminutio, sanguinis, et aliorum humorum, ad interiora et organa centralia retro-pulsio, et accumulatio laticis vitalis in iisdem. Manifestatur hocce momentum per sensum frigoris et horripilationes, tremorem artuum, pallorem cutis; accedit derma contractum, rugis et eminentiis distinctum (cutis anserina), oppressio pectoris, spiritus difficilis, laboriosus; pulsus arteriarum sunt debiles, frequentiae tamen notabilis, \*) actio autem cordis expedita tangitur. Haec symptomata, nunc diutius, nunc per brevem solum temporis moram perstantia, alia et quidem opposita excipiunt, — quibus succedentibus momentum 2dum inchoat. Evanescit utpote spasmus cutaneus, cernitur turgoris vitalis incrementum, pallor antea observatus redeunti nunc cedit rubori, — pulsus vim suam pristinam

---

\*) De frequentia pulsuum sub balneis frigidis auctores dissentiunt. Sic Marcard: H. M. Marcard, über die Natur und den Gebrauch der Bäder, Wien 1798. asserit, frequentiam pulsuum imminui.

recuperant, imo robore intenduntur, — frequentia eorum imminuitur, evolvitur calor, grataque sentitur corporis universi resectio.

Elucet ex dictis symptomatibus clarissime, *primariam* aquae frigidae actionem, in detractio-  
ne calorigi corporis animalis, cum eadem in con-  
tactum venientis, consistere, — ast organismus  
particularis vivus, regenerationem amissi forti-  
ter moliens, stimulo incitatus, ex oppositionis  
dynamicae lege, vehementer reagit, omnes suas  
functiones intendit et expedit, sicque calorem  
suum nativum, nunc quidem intensitatis notabi-  
lioris evolvit, — quae actio *secundaria* frigi-  
ris, aut potius reactio organismi in frigus nomi-  
nari meretur.

Quodsi autem effectum aquae frigidae in cor-  
pus animale vivum, stricto et riguroso subjicere  
vellemus tentamini, omnes tunc mutationes im-  
mediatas, universales, locales, uti et consecuti-  
vas, quas balnea frigida a temperatura liquatio-  
nis glaciei inchoando, transitu per gradus singu-  
los ad frigidiuscula facto producunt et efficiunt,  
erueret et strenue adnotare oporteret. Insuper  
aetatis, constitutionis, temperamentis, et aliorum  
adjunctorum ratio habenda esset, haec demum  
pericula caute et attente reiterari deberent. Tali  
pacto balnea cujusvis gradus, certa nobis data  
et resultata suppeditarent, maximi futura emo-  
lumentis. Plures egregii naturae scrutatores et  
observatores, fervido hocce zelo abrepti, tenta-  
men hunc in finem aut secum ipsis aut cum aliis  
instituebant quorum pauca hisce communicaturi  
sumus; — haec tamen conamina, quamvis ma-  
ximam omnino mereantur laudem, non omnibus  
numeris absoluta nobis suppeditarunt resultata.



More itaque recepto tres balneorum frigidorum subdivisiones, quoad temperaturae gradum adnotabimus, examinatis simul singillatim eorum effectibus in corpus humanum vivum. Sunt hae sequentes: a) *valde frigida*, a 0—10° R. ascendentia. b) *frigida*, 10—15° R. c) *frigidiuscula*, a 15—22° R.

### Effectus balneorum valde frigidorum in organismum vivum.

Statim post ingressum sentitur frigus validum, quod se per horripilationes, tremorem artuum et maxillae inferioris, cephalaeam notabilem et rigorem membrorum manifestat. Sub motu corporis frigus adhuc intensius evadit, per renovationem utpote undae aquae corpus ambientis, — observata vero quiete frigus imminuitur. Post aliquot minuta subsequitur dolor capitis, epigastralgia notabilis, dolores et contractiones in musculis omnibus, imo et in articulationibus, — insinuant se demum spasmi tonici, et corpus molis exanimae adinstar rigidum evadit, ita ut nec robustissimus homo in aqua hujus temperaturae, diuturniorem moram quam circiter 7—10. minutorum extrahere queat. Post egressum e balneo hocce, volumen totius corporis imminutum cernitur, cutis externa maculis lividis defoedata adparet, quemadmodum in hominibus anevrysmate detentis, — turbamque circulationis clare demonstrant. Oculi sunt in orbitam retracti, nasus acumine praeditus, labia livescunt, facies pallida, imo et flavicans conspicitur, maxilla inferior tremet, imo fortiter conquassatur. Pulsatio cordis vehemens observatur, imo et tangitur,

— arteriarum contra ictus debiles sunt, parvi, sed citati, — respiratio anxia et citata adparet, sensus premens accusatur in regione sternali; — sapor oris est fatuus, epigastrium sensibile, sitis nulla, urina copiosa excernitur, limpida ceteroquin et minus tincta.

Insequitur tandem nunc ocyus nunc serius reactio valida, calor intensus oritur, pulsus vim suam recuperant, sensibilitas aucta adparet, imo in magnam transit inquietudinem.

Horum symptomatum observatorum ratio, nobis nunc enodanda venit: Frigus maxime actuosum hicce contractionem corporis efficit, immittitur porro volumen illius per pressionem aquae, mediū utpote densioris quam aër atmosphaericus. Cum humores omnes, qui secus superficiem corporis permeant, nunc versus centralia urgentur organa, in corporis penetralibus congestiones nascuntur perniciosae, anevrysmata cordis et vasorum majorum, — hinc quoque ortum sumunt dolores et turbae respirationis variae, — simili ratione explicantur: cephalaea, dolores in sterno etc. Cum demum opus respirationis impeditum sit, secretio et excretio urinae aucta adparet, indole tamen tenui et aquosa praedita.

Hic esset immediatus effectus balnei valde frigidi. Iisdem autem saepe in usum tractis, uti Finnis et Russis usuvenit, referentibus auctoribus, cutis incrassescit, finditur, indolemque demum coriaceam adipiscitur.

Balnea hunc temperaturae gradum habentia rarissime, imo nunquam commendari merentur. Individua autem minus irritabilia, habitu pastoso laxoque praedita, temperamento insuper phlegmatico gaudentia minus ab iis afficerentur, quam illi, quorum systema sangviferum mobile, ner-

veum, alacre et sensile cernitur, quive temperamento cholerico et sanguineo gaudent.

## Effectus balneorum frigidorum a 10—15°

### R. in organismum vivum.

Hic symptomata eadem in conspectum veniunt, quae paulo ante enumeravimus, intensitas tamen eorum multo minor deprehenditur. — Eodem temporis momento, quo aquae temperaturam dictam habenti corpus immittitur, horror et frigus sentitur, aliaeque molestiae, quae tamen paulo post evanidae, gratam corporis sensationem inducunt. Motus in his balneis frigus subjectivum non auget, uti id in valde frigidis observatur. Cutis pallore obsessa cernitur, friget, anserina redditur, — musculorum torpor minor est, spasmi rarius obtinent, nec sunt ita pertinaces. Congestiones interiora versus hic quoque accidunt, nullos tamen causant dolores, — perspiratio cutanea supprimitur, urina tamen copiosa excernitur, coloris straminei. Pulsus arteriarum frequentiores fiunt, cordis autem majoris tanguntur vehementiae. Post usum hujus balnei refectio insequitur totius corporis, appetentiaque ciborum insurgit. Post decursum aliquot horarum, imprimis vero nocte subsequente, incitatio quaedam observatur, — calor enim increscit, somnus non est placidus, stimulusque sexualis evigilat.

Balneum hocce roborat corpus vivum, incitando energiam vitalem singulorum organorum, structuramque et organisationem eorum firmiter reddendo, — impulsu simul addens officinae digestoriae, assimilationem potenter adjuvat.

## Effectus balneorum frigidiusculorum a 15—22° R. in organismum vivum.

Haec est temperatura fluminum diebus aestivis, coeloque sereno. Sub ingressu in hoc balneum horripilationes leves persentiuntur, inprimit ab illis, qui rarius balneis utuntur, vel successive tantum immergunt corpus, — ii vero, qui repente se mergunt undis, subitaneum frigoris sensum percipiunt, mox tamen evanescentem. Perspiratio cutanea etiam hic supprimitur, lotium vero vicario modo largius excernitur, indolis ceteroquin suprafatae. Adpetitus silet, quamdiu mora in balneo extrahitur, motu quidem neglecto, circuitus retardatur, regeneratio caloris imminuitur, — facto autem motu haec omnia evanescent. Post balneum hilaritas persentitur, amoenaque totius corporis levitas, contractio et tonus musculorum quidquam auctus est, — adpetentia ciborum evigilat, digestio facilius redditur.

## Peculiares efficaciae balneorum frigidorum quoad aetatem.

Impingimus hic statim in quaestionem a medicis multis saepius jam ventilatam: *num balnea frigida infantibus puerisque tenellis proficua esse possint?* Erant quidem multi medicorum, imo sunt adhuc complures nunc quoque, qui veritatem theseos acriter defendunt, magnumque praesidium tuendae sanitatis infantilis in balneis frigidis constitutum esse contendunt, hinc et illa ubique commendant. — Ast re curatius perpensa, et considerata sensilitate aetatis tenerae, mollitiae et laxitate organisationis, perme-

abilitate omnium organorum majore, debilitate totius corporis, et eo demum in censum vocato, quod hi tenelli, stragulis et vestibus obruti, in altiori semper foveantur temperatura: omnem iis utilitatem, plenoque jure abnegare potuerimus. Sub usu enim horum balneorum infantes tenelli, praevalente in iis sensilitate, facillimo negotio convelluntur, permeabilitate autem organisationis totius majori perstante, congestiones periculo plenae, et parectamata viscerum necessario suboriri debent, — prout ob debilitatem insignem, reactio, a qua vis salutifera horum balneorum repetenda, nulla contingere potest. Ast posset nobis objici, quod integrae nationes, nunc quidem rarius ac priscis temporibus, infantes suos neonatos undis submerserint, iique hoc pacto robusti et sani evaserint. Nos id opponentibus respondemus; plurimos eorum hac ratione etiam letheis submersos fuisse undis. Quod autem illi, qui inhumanum hocce tractamen feliciter superarunt, robusti et sani vixerint, prorsus non mirandum, cum firmiori praediti organisatione, potentiis etiam nocivis, et sanitati infensis, magis et intensius resistere valuerint. In rarissimis autem iis casibus, ubi medicus balneum frigidum, rite ceteroquin indicatum, infanti ordinandum decreverit, — huic temperate calidum aut tepidum praemittere nunquam negligat, — ab hoc ad lotiones frigidiusculas transeat, ultimatim tandem et balnea frigida, summis tamen semper adhibitis cautelis, in usum vocare potest.

Quo magis autem aetas tenera et puerilis ad juvenilem imo virilem evehitur, et quo magis progrediente per subsequentia aetatum stadia corporis perfectione, pari etiam passu, major et excedens vitae alacritas temperatur, ejus autem

robur internum intenditur: eo magis proficius et beneficus evadet horum usus. —

Decrescente demum energia vitali, et actate senio confecta, dum vigor vitalis in senilem inclinat imbecillitatem, iterum interdicitur balneorum frigidorum usus. — Induratio enim partium solido mollium, hacce vitae periodo ut plurimum contingens, usuatis balneis dictis, rapidiorem facit, non raro exitialem et deletherium progressum, affectiones cerebri, hypertrophiae cordis exasperantur, — accedit adhaec tandem, detractionem caloris, qui nunc alioquin aegrius et parcius evolvitur, magnum sanitati individuali inferre detrimentum.

### Efficaciae balneorum frigidorum peculiares quoad sexum.

Magnum inter viri et faeminae organisationem individuaalem obtinere discrimen, haud quisquam in dubium vocare audebit. Functiones enim genitales, diversae in utroque sexu, organicam eorum constitutionem varia ratione mutant, quibus fit, ut et praesidia Hygyaenes, et tractamen therapeuticum varium habeant influxum, modificationemque necessario patiantur.

Faeminae utpote sensilitate majori praeditae, majorem erga stimulos quosvis offerunt receptivitatem ac viri, — in eorum itaque sanitate tuenda et conservanda, uti et morbo medendo et auferendo, sapiens circumspectumque requiritur moderamen stimulorum energicorum. — Balnea itaque frigidiora iisdem rarius conducent, testantibus id viris in arte medica illustrissimis; — frigidiuscula autem earum saluti sub certis con-

ditionibus amica esse, experientia quotidiana clare evincit. — Systema musculare ceteroquin alacre, robur organicum et vitale, majus acquirit, — functionibus ceteris impulsus beneficis additur. — Cavendum tamen quam maxime, ne iis durante periodo catamaeniali, paulo ante et post eam dicta balnea ordinentur, ut quae normalem fluxum a recto tramite facillime detorquere, sicque anomalias varias menstruorum, medico perquam molestas inducere valent.

Viri e contra compage organica firmiori donati, majus et corporeum et vitale offerunt robur, ac proin minus etiam obsequium pro potentiis externis. Quibus omnibus fit, ut iis balneorum frigidorum usus liberior concedi possit.

### Efficaciae balneorum frigidorum quoad temperamentum.

Temperamentum certum vitae modum designat, in homine singulo, ex determinata principiorum vitalium mutua ratione procedentem. Sequitur hinc necessario, quodlibet temperamentum peculiarem offerre modum commercii illius, quod inter corpus organicum vivum et res externas obtinet, singulari itaque prorsus receptivitate in res externas, sicut et reactione propria in easdem distingvi. Si itaque ad mentem celeberrimi Hartmanni quatuor assumserimus temperamenta cardinalia, indicatio pro usu balneorum frigidorum, in quolibet horum, modificationem aliquam subeat, oportet.

Temperamentum utpote *cholericum*, irritabile a recentioribus quibusdam nuncupatum, quod receptivitas prompta et reactio valida in stimulum

prodit, — cautum solummodo admittit usum remedium e tribu excitantium petitorum, adeoque et balneorum frigidorum, — quod et de temperamento sensili, vulgo *sanguineo* nominato, valebit, ubi stimuli impatientia adest, renisus alacrior cernitur, minus tamen firmus.

E contra temperamentum moderatum seu *melancholicum*, et iners seu *phlegmaticum* liberiores concedit usum balneorum frigidorum, sub certis rerum adjunctis. — In illo propterea, quod per stimulos externos aegrius sollicitetur; — in hoc vero compages organica firmior redditur, roborque vitale majus adipiscitur.

*Consvetudo et idiosyncrasia* quoque respectum suum hic loci merentur. Haec enim momenta varia ratione mutant effectum balneorum frigidorum. Sunt nimirum multi hominum, qui peculiari in balnea haec feruntur idiosyncrasia, — in his, quamvis ea maxime indicata censeat medicus, salutari tamen effectum destituentur, imo malum praesens exasperabunt. Medicus itaque prudens et scientificus haec omnia seria pervolvens mente, certis cautelis, habita subjectorum ratione, usum balneorum dictorum circumscribere non intermittet.

*Temporis* quoque in iis ordinandis debita habenda erit ratio, cum non sit idem, qualicumque tempore balneo uti. Sunt multi celeberrimi viri, qui ea interdunt sidere ardente, diebus utpote caniculae, licet balnea aestiva usitatissima et maxime proficua sint. Contendunt enim radios solis, maxime tunc sane intensitatis, fere perpendiculares cadere, sicque congestiones ad encephalon, inflammationes velamentorum cerebri, imo et ejus substantiae, ac demum erysipelas



enasci posse. Si itaque haec symptomata intensitatem caloris solaris, non autem potentias quasdam specificas pro causa agnoscant, nemo prudens dictorum balneorum usum svadebit, dum sidus intense ardet. — Ast non solum anni, sed etiam diei tempus, effectum balneorum, ut calidorum ita et frigidorum, nunc in bonam nunc in malam vertere valebit partem. Balnea frigida digestionem variis modis turbare, jam dudum evictum habetur. Dum igitur ventriculus ciborum mole oppressus est, noxius sit eorum usus, oportet. Hinc tempore matutino, ante jentaculum sumtum, aut circa vesperam, nunc quoque ante coenam, maxime idoneum erit balneorum sumendorum tempus.

Demum et *motus aquarum* balneorum usum varia ratione modificat. Omnium infimae censentur aquae stagnorum et paludum, tum propterea, quod nunquam renoventur, tum ideo, quod materiis variis vegetabilibus et animalibus, in putredinem jam ruentibus inquinatae sint, quorum miasmatum vim nocivam imo pestiferam, quin in immediatum cum corpore humano vivo veniant contactum, scientia et experientia quotidiana, in nostra quoque patria carissima, proh dolor! evincit. Comprobant assertum hoc febres intermittentes rebelles, nec optimo quandoque tractamini cedentes, imo et aliae cachexiae endemice dominantes in regionibus paludibus et stagnis obsessis, quae optime et citissime mutato solo tolli possunt. — Si autem haec vera sint, quod nemo sanae mentis inficiabitur, quanto magis infensa esse oportet sanitati balnea ex his aquis foetentibus et putridis petita, ubi corpus in immediatum devenit contactum cum his potentiis, symbolam suam ad producendum morbum diversimode contribu-

entibus. Optimae itaque censentur aquae fluentes, nec tamen nimis rapidae.

### Cautelae circa usum balneorum frigidorum observandae.

Sanitati conveniens esse contendunt plures medicorum, si paulo ante balneum moderatus instituat corporis motus activus, — nunquam tamen ad eum intendendus gradum, ut systema sangviferum exagitetur, aut plane sudor proliciat; varia enim inde timenda erunt nobis mala, quorum plurima turbata et laesam dermatis functionem pro centro agnoscunt. — Imo ubi systema sangviferum potenter incitatum adparet, mors etiam violenta, apoplectica utpote, induci potest, — confirmat hoc tristic etiam experientia. Hinc et iis, quorum animus gravioribus affectibus et pathematibus excitantibus exagitatus est, usus balneorum frigidorum, donec turbae hae penitus sedatae non fuerint, severe interdicens erit.

Ante ingressum in balneum consultum erit, thoracem prius et caput aqua lavasse, ut hac ratione congestiones sangvinis, ad haec organa semper contingentes, saltim imminuantur et mitigentur.

Mora in balneo extrahenda, pro ratione individualitatis et effectus, quem medicus producere intendit, variat. Svadent tamen omnes, hanc moram in balneis valde frigidis, imo et frigidioribus brevem, imo brevissimam esse debere, jure meritoque timentes reactionem organismi fortiolem et infaustam. — Supervenientibus itaque horripilationibus secunda vice, e balneo egredi jubent.

Statim post pastum, inprimis larga manu sumtum, nunquam balneo utendum erit, verum interposito duntaxat longiori temporis intervallo, dum nimirum opus primae digestionis finitum esse censetur. Hanc regulam multi negligentes, imo vilipendentes, varia laesae digestionis et assimilationis vitia offerunt.

In subjectis irritabilioribus, ubi usus balneorum frigidorum ceteroquin adprime indicatus esset, uti e. gr. in morbis quibusdam chronicis, juvabit iis tepidiuscula praemittere, ascendendo lento passu sensim ad frigidiora.

In balneo ipso quies corporis non conducit, hinc locomotiones crebrae instituendae, vel saltem aquarum undae hincinde motitandae erunt; — artis nandi gnaris ipse natatus commendatur, non tamen continuus, nec contra fluminum fluxum; tunc enim undae fluentes majorem in corpus exerentes pressionem, pectus inprimis debilius male afficere, et dyspnoeam producere possent. Hujus etiam loci essent sic dictae *frictiones aquae*, a Trawnischek propositae et summis encomiis celebratae. Instituuntur autem hae ad mentem auctoris ope manus, dum nempe ea, in distantia aliquot linearum a corpore, directione recta deprimitur et attollitur. — Dictarum frictionum efficaciam auctor, inprimis in morbis abdominalibus, summis extollit laudibus.

Post egressum e balneo corpus sollicite abstergendum, motusque corporis moderatus instituendus, ut lenis et benigna transspiratio sustentetur. Pro ratione adjunctorum et lectus peti, haustoque potu theato calido, transspiratio promoveri posset. Omne autem refrigerium, cance et angve pejus, quam studiosissime vitandum erit.

*Morbi praecipui, qui salutari balneorum frigidorum efficaciae cedunt, sunt:*

1.) *Morbi febriles; — febres utpote characteris adynamico—nervosi, torpidi, et febres putridae malignae. In his casibus balnea frigida, ut remedia excitantia, stimulantia prosunt. Jam Thucydides a) refert in descriptione sua morbi pestiferi, tempore belli Peloponesiaci, Athenis late et furiose saevientis, multos aegros, sub intensissimo paroxysmo febrili undis fluvialibus mersos fuisse, hacque ratione plures eorum ex morbo hoc fatali evasisse. Recentissimo autem tempore Fröhlich b) efficaciam balneorum frigidorum summis cumulat laudibus, in febribus adynamico-nervosis.*

2.) *Morbi exanthematici acuti, dolosi, variis anomaliis et irregulari eruptione ipsius exanthematis incedentes, in quibus praeterea febris comitantis character in adynamico - nervosum vel putridum transit. Sic referente Friese c) aegroti variolis malignis detenti, praecipitarunt se in aquam temperaturae glacialis, dum eos paroxysmus fortis delirio junctus invasit, et asserit plures eorum feliciter sanatos fuisse. Saluberrimos eorum effectus etiam Hall d) et Lucas e) comprobare adnisi sunt.*

3.) *Atonia habitualis et laxitas dermatis, et ex hoc fonte enati sudores profusi, magnum vi-*

a) De bello Pelopon. L. II. c. 49

b) Hufeland und Osann Journal der pr. Heilk. 1822. Supplementheft. S. 25—27.

c) Annalen der neuesten brit. Arznei und Wundarzneifunde.

d) Sammlung außerl. Abhandl. für pr. Ärzte. Bd. XVII, S. 36.

e) Ibidem. Band XIV. S. 323.

rium dispendium post se trahentes. *Blenorrhoeae chronicae*, dispulsa vel evanida jam indole phlogistica, quae profusae secretioni mucii junctae incedunt, uti essent fluor albus, stadium secundum *blenorrhoeae urethralis*, huc etiam spectant prolapsus ani, uteri, vaginae, atonia organorum genitalium, tabes dorsalis. In omnibus his casibus balnea frigida ut adstringentia et excitantia magnopere conduxisse visa sunt.

4.) Sensilitas dermatis morbose aucta si cum atonia incedat. Hinc salutare eorum effectus et vires in sanandis affectionibus rheumaticis habitualibus, vel potius et tutius in tollenda et eradicanda eorum dispositione e corpore explicantur.

5.) Morbi chronici systematis nervosi, ubi debilitas cum torpore aut erethismo juncta incedit. Huc referri merentur paralyses partiales v. g. enuresis, impotentia virilis, spasmi hysterici, affectiones hypochondriacorum, cephalalgia. Contra *Choream sancti Viti* C. J. E. Franklinus laudat usum balneorum frigidorum, contra epilepsiam *Souvages*, *Floyer*, *Tissot*, *Bosquillon*, *Lentin* et alii. Imo et alienationes mentis sub certis circumstantiis suam inveniunt in balneis frigidis medelam.

6.) Debilitas metamorphoseos progredientis, cachexiarum et cacochimiarum utpote quaedam species, uti esset scrophulosis, rhachitis. Non tamen satisfecerunt expectationi et votis medicorum in his casibus. Magis proficiuus cernitur eorum usus, si in dictis morbis in sic dictum complementum curae adhibeantur, ubi omnino laudem suam merentur. — *Rush* a) hydropem iis cito tutoque sanatum contendit.

a) Sammlung auserlesener Abhandl. Bd. XVII. S. 175.

7.) Commendatur a sel. Richter ad praevetendum et confundendum paroxysmum febris intermittens. Ubi nimirum haec immunis ab omni affectione gastrica passionem nervosam praesertit, in habituales jam abire minatur, et pertinaciter resistit omnibus remediis. Semper tamen anceps manebit hocce remedium, cum mortem apoplecticam et suffocativam jam induxisse visum sit. Quod et nominatus vir celeberrimus sincere fateatur, dicens, hoc in iis solum adhibendum esse casibus, ubi remedium anceps melius quam nullum.

8.) Majoris efficaciae censentur balnea frigida in debilitate topica functionum reproductivarum, uti e. g. in menstruis molestis, dolentibus, majori dispositione ad abortum. a) Verum et hic usus eorum arctioribus circumscribendus foret limitibus, et persistente ipso fluxu menstruo, aut praesente graviditate, nemo prudens eorum faceret et ordinabit usum.

9.) Irregularitas circuli sanguinis, nisus in congestiones, haemorrhagias spontaneas etc. Verum et hic prophylactico modo aut in complementum curae adhibenda erunt.

10.) Tandem et asphyxiae a frigoris effectu deltherio enatae, balneis frigidis bono cum successu sunt tractatae. Corpus rigidum, asphycticum balneis frigidis imponitur, in eoque relinquitur, donec prima vestigia vitae resuscitatae et reactionis desideratae in conspectum veniunt, tunc dein eximitur, et frictionibus in cute sollicite ac strenue institutis in lectum deferitur, non tamen stragulis nimis obrutum. Secundum alios vero

a) Vogt Lehrbuch der Pharmacodynamik. Band I. Abtheil. 2. S. 397.

balnei frigidi temperatura successive intenditur, adfundendo aquam ab initio minus frigidam, dein frigidiusculam et sic porro.

Contraindicatur autem balneorum frigidorum usus in casibus sequentibus:

1.) In plethōra notabili, ubi incaute adhibita subitaneum recessum torrentis sanguinis versus interiora, imo mortem violentam apoplecticam efficere valent.

2.) In eminente debilitate et stimuli impatientia systematis dermatici.

3.) In impetiginibus chronicis et exanthematibus acutis in flore constitutis, quorum recessus periculo plenus esse solet, vitamque in magnum adducit discrimen. Affectiones enim memoratae, ab organis ignobilioribus ad nobiliora, imo nobilissima recedentes, ibique emicantes, nunc vitam celeri passu conficiunt, nunc vero clandestine repentēs, texturam organicam variis modis laedere svererunt.

4.) Vetant porro eorum usum vitia organica diversa, inprimis anevrysmata cordis et vasorum majorum.

5.) In graviditate praesente et periodo catamēniali fluente, ut quae balneis frigidis facillime detorqueri valent a normali tramite. Status gravidarum jam vel ideo renititur summopere usui balneorum frigidorum, quod nunc vita uteri fastigium adepta, per eorum usum ad validiores reactiones sollicitetur, quo fit, ut phlogoses hujus visceris, nunc inprimis periculo plenae, imo et contractiones uteri violentae, abortum post se trahentes, enascantur.

6.) In exulcerationibus organorum interiorum.

7.) Prohibentur, dum systema sangviferum exagitatū est, corpus sudore prorumpente ma-

det, et mens animi affectibus et pathematibus excitantibus lacessitur.

8.) Sufficiat demum hic simpliciter adduxisse, balnea frigida nec aetati infantis tenellae, nec decrepitae senectuti convenire, ut quorum rationem sufficientem jam in praecedentibus reddidimus.

### Affusiones, Embrocationes frigidae.

Adhibetur haec expressio respectu therapeutico ad designandum actum, quo certa quantitas aquae, e loco nunc plus nunc minus elevatiore defusa in contactum cum corpore devenit.

Quamvis affusiones, aspersiones frigidae antiquissimis jam notae fuerint temporibus: effectu tamen eorum in organismum humanum vivum rite non aestimato, rarissimis solum in casibus usus eorum fiebat. Sic jam Celsus ait in tractamine lethargicorum: „Excitat autem validissime repente aqua frigida superinfusa.“ a) Caelius Aurelianus efficaciam embrocationum in aphonia laudat.

Auctores hujus methodi aquam frigidam adhibendi W. Wright et J. Currie habentur, medici natione Angli. Wright medicus castrensis exercitus anglicani, Jamaicae tunc temporis morantis, redux Liverpoolinum anno 1777. primis diebus mensis Septembris, infectus est feбри quadam pestilentiali. — Postquam tractamen solitum nullum morbi lenimen insecutum fuisset, vestibus exutis aqua marina se perfundi curavit. Post immediatam remedii hujus heroici adplicationem, instantaneam symptomatum morbosorum mitigationem sentiebat. Cephalaea utpote intensa, si-

a) Celsus de Medicina L. III. Cap. 20.



cut et reliqui dolores decreverunt, — calor amoenus, moderatus, diffundebatur per totum corpus, sudorque benificus erupit. Cum autem vesperscente die solita febris exacerbatio iterum insecuta fuisset, remedium repetendum decrevit, — diebus sequentibus tum quotidie bis perfusus est aqua frigida, effectu adeo luculento et optato, ut intra breve tempus ex integro pristinae restitutus fuerit sanitati.

His innixus J. Currie methodo nominata mense Decembri anni 1778. in nosocomio militari Liverpoolitano, quod suae inspectioni et curae concreditum erat, et ubi febris quaedam deletheria horrende grassabatur, pericula instituit prosperrimo successu coronata; seriori dein tempore in exanthematibus etiam febrilibus acutis, dolose incedentibus, effectum eorum beneficum expertus est idem vir celebris et clarus.

Quamvis itaque affusiones celebratae non J. Currie agnoscant qua primum auctorem et detectorem, immortalis tamen ejus memoria jam vel ideo albo notari meretur lapillo, quod eas primus publici juris fecerit, et in diversis morborum generibus et speciebus adhibuerit. Successu vero temporis methodus haec conatibus indefessis naturae scrutatorum scientia et arte illustrissimorum locupletata, majus perfectionis attigit culmen. Competit autem honor dictus medicis inprimis germanis, inter quos celeberrimi viri Hufeland, Horn, Brandis, Streglitz, Reuss, Marcus et alii nominari merentur.

### Modus applicandi affusiones frigidas.

Affunditur capiti certa, pro diversa ratione in licationis a medico factae, quantitas aquae ex

vase orificio amplo praedito ex altitudine unius ad duorum pedum. Ut aqua decidens excipi possit, individuum in cadum aut vacuum aut modicam aquae frigidiusculae quantitatem tenentem collocatur. Quodsi embrocatio totius desideretur trunci, cadum vacuum esse oportebit, si autem effectum eorum in caput solum intendere malimus, vasis dicti duae tertiae sint aqua repletae; thorax vero et collum sollicitè obvelletur linteis. — Tunc autem imprimis observandae erunt hae cautelae, dum symptomata cephalica affusiones dictas adhibendas esse jubent, symptomata vero inflammatorio catarrhosa fistulae spiritalis et pulmonum gradus notabilioris praesentia, cautos nos esse debere monent.

Aqua in hunc scopum adhibenda 12—15° R. sit. Si tamen aeger debilis, vel admodum irritabilis sit, consultum erit ab affusionibus magis temperatis exordiri.

*Duratio* embrocationum in ratione directa sit oportet cum intensitate febris, ejus exacerbationum et statu virium vitalium aegroti. Sufficiunt plerumque duo minuta prima ad effectum notabilem producendum; — in casibus tamen singularibus, bene a medico perpendendis, per 10 imò 15 minuta instituuntur. Ratio autem svaedet easdem ab initio saltem per brevius temporis intervallum faciendas esse, ut sic earum effectus prius dijudicari queat.

Antequam vero ipse hic actus inchoetur, corpus aliquot guttulis aquae irroretur, ut sic violenta embrocationum actione paululum mitigata, individuum iis magis assvefiat, tandem ad has ipsas transitus fit, interposita saepius durante actu aliquot minutorum secundorum quiete, ut sic aeger intervallis lucidis libere respirare queat.

Cautelae hae magni certe sunt momenti, — quod si enim negligentur, individuum valde debilitatur, si vero quies diuturnior interponatur, effectus embrocationum maxima parte perit. Finitis demum iis corpus sollicite abstergendum, et regimen in lecto strictum, frigidiusculum observandum erit.

### Actio embrocationum.

Affusiones frigidae corpori vivo adplicitae magnam in hoc exerunt efficaciam, producant nimirum speciem terroris, ei non absimilem, qui homines invadit, dum repente undis merguntur. Ad earum plenarium effectum aestimandum multum contribuit mechanicus aquae lapsus e loco elevatiore. Haec adplicatio varia producit symptomata tam universalialia quam topica, — quorum examen nunc adgredientes ea in tres disponemus periodos.

Juvabit autem praevie adnotasse cel. Guersent maximam invenisse similitudinem inter symptomata statim memoranda, et paroxysmum manifestum febris intermittentis.

*Periodus 1.* Sub adplicatione affusionum immediata plurimos terror subitaneus invadit, — sentitur constrictio cutis, doloribus et sensu punctorio juncta. Haec constrictio in partibus nonnullis corporis manifestior fit; exigua est in dorso et extremitatibus, luculentior in capite, facie, abdomine, papulae cutaneae (cutis anserina) visibiles fiunt, frigus validum accusatur, corpus pallescit, et undae sanguinis interiora versus urgentur. Pulsus sunt parvi, debiles, imo in pluribus vix tangi possunt; — respirationis opus

citatum et imperfectum est. Se et excretiones omnes silent, uti cutis, alvi, urinae etc.

*Periodus 2.* Finito actu, et absterso corpore pedetentim hoc incipit stadium. Redit calor animalis, cutis mollescit, inspirationes fiunt pacatiores, pulsus frequentia nunc imminuuntur, robore vero augentur, liberiores evadunt. Duratio hujus stadii brevior est.

Succedit demum *Periodus 3.*, ubi aestus augetur, corpus sudore madet, grata sentitur reffectio et proclivitas in somnum. Urinae excretio larga et non raro critica cernitur.

Elucet e symptomatibus recensitis, summam ea habere analogiam quoad formam cum paroxysmo febris intermittens. — Stadia enim frigoris, caloris et subsequens demum sudoris et hic eminenter evoluta sunt. — Evenit tamen interdum ut effectus affusionum frigidarum a consueto aberret tramite, emanent nempe phaenomena stadium secundum et tertium denotantia, — frigus longiore tempore vexat hominem, reactio vitalis non subsequitur, debilitas demum adhuc increscit. Quae symptomata cum paroxysmo febris intermittens irregularis et perniciosae apte comparari possent. Sub his infaustis rerum adjunctis affusionibus protinus abstinendum est, imo vires remediis tonicis, excitantibus erigantur oportet.

Ex his omnibus, quae de immediatis et consecutivis embrocationum effectibus protulimus, patet: remedium hocce in multis casibus momentaneam circuli turbam componere, systemati nervoso cerebrali stimulum addere, sicque febrilem producere reactionem, quae vires vitales suppressas liberat, concentum et aequipondium omnium systematum operatur, se et excretiones inprimis

cutis et renum impellit. Intempestive autem et incaute adhibitae, virium collapsum, imo ipsam mortem adduxisse visae sunt.

Ut vero effectus hi, primo intuitu contrarii, rite combinari possint, monendum erit, excitationem hanc non esse tribuendam, novo quasi accessui virium vitalium, cum methodus haec vires in functione sua suppressas liberet quidem, novas tamen non addat. Quod et experientia medicorum demonstrat, qui in eminentiore statu asthenico affusiones has minus optato coronatas viderunt eventum. Monent vero plerique auctores, eas tempore exacerbationis morbi instituendas esse, quae ceu lucta inter vires vitales et morbum considerari potest.

Morbi qui victricibus cedunt affusionibus frigidis sequentes censentur ab auctoribus:

1.) Febres nervosae, torpore junctae incedentes. Summae dignitatis remedium iis inprimis in casibus habetur, ubi eminens caloris gradus non tantum subjectivus aegrum vexat, verum etiam re ipsa adest, thermometroque metitus normalem multum excedentem indicat, — dein, ubi praeter abnormem hanc caloris evolutionem, cutis ipsa sicca tangitur, — indoles febris pestifera est, aeger torpore detinetur, aut conscientia aboletur. Hinc febris nervosa, putrida, typhus contagiosus, pestis orientalis, febris flava americana saepe cedunt embrocationibus.

2.) Febres exanthematicae acutae, praecipue autem scarlatina, secundum Currie, Battemann, Armstrong, Albers et alios. Currie hac methodo tractatos aegros 38. omnes saluti iterum restituit. Brandis plane circa mille casus refert, ubi aqua frigida hac ratione adhibita felicissime in usum vocata fuit. Tunc autem inprimis adhibendae erunt

embrocationes frigidae in scarlatina, dum febris intensa adest, calor magnus et urens tangitur, color exanthematis caerulescit, aegri inquieti se jactitant in lecto, oculi turbidi, sveta vivacitate orbati adparent, affectiones encephali caput extollunt. Ex his jam patet scarlatinam regulariter decurrentem, remedio hocce heroico minime egere, quod etiam stricte interdicitur, ubi cutis sudore madet, calor intensus aegrum non molestat, exanthema laete floret, verbo, ubi scarlatina decursum habet regularem. — Svadet porro usum hujus remedii Currie in morbillis, assertumque suum multis corroborat exemplis, et periculis feliciter institutis. Clariss. Reuss a) liberos suos morbillis affectos hac methodo sanatos fuisse refert. — Verum, quin auctoritati horum virorum celeberrimorum aliquid detrahere velimus, monuisse juvabit, usum affusionum frigidarum in morbillis arctioribus circumscribendum esse limitibus, inprimis iis, qui phlegmasiis pulmonum, quod non adeo rarum est, junctae incedunt. Si in tali casu remedium hoc adhibitum fuerit, sanguis adhuc magis urgetur versus pulmones, sicque malum exasperatur et interitus acceleratur.

3.) Angina membranacea Anglis Croup dicta secundum experimenta Harderi Petropoli instituta. a) In stadio nimirum jam adynamico, ubi valentissima secus remedia incassum tentata sunt, et metus suffocationis, stertor, tussis suppressa, frigus extremitatum, puisus vix tangendi, mor-

a) Hufeland Journal der pr. Heilk. Supplementheft 1822. Seite 15.

b) Vermischte Abhandl. aus dem Gebiete der Heilk. von einer Gesellschaft pr. Ärzte zu Petersburg. 1te Samml. 1821. S. 23. 43. 53.

tem imminentem praedicebant, affusionibus frigidis plures aegri salvati sunt. Etiam sub primo morbi stadio optato cum eventu adhibebantur.

4.) Phlogoses aut ipsius encephali aut ejus velamentorum: meningitis, encephalitis, delirium tremens potatorum.

5.) Hydrocephalus infantum. Efficaciam affusionum frigidarum in primo morbi hujus stadio omnes auctores laudant, imo Portenschlag et Formey eas per totum morbi decursum salutare invenerunt, quod tamen Parent et Martinet negant, dicentes, haec remedia, facta jam exsudatione rarissime, incepto autem stadio soporoso nunquam profuisse, imo mortem adhuc festinasse. Omnis enim salus secundum auctores dictos a reactione exspectatur, — ubi vero aeger valde debilis est, vel ipsa jam organisatio laesa est, si non nocuerint, certe nil proficient.

6.) Nevroses et morbi mentis, qui cum erythysmo et alacritate majori systematis nervosi, congestionibusque magis passivis incedunt, embrocationibus frigidis non raro cedunt, uti epilepsia, catalepsis, tetanus, hydrophobia, melancholia, mania. — Mylus e 46. vesanis, hac ratione tractatis, e quibus 20 per immodicum cremati potum in morbum inciderant, 41. sanavit, subjungit tamen, in omnibus his malum non fuisse vetus. — Sunt medicorum quidam, inter quos praeprimis Cesareti memorandus erit, qui in his morbis aliam adhuc balneorum frigidorum speciem summis celebrant encomiis. Perfundunt nimirum aegros inopinate magna aquae frigidae copia, imo eos violenter et inexpectate in flumina, et cisternas praecipitant. Summe vero heroicum hocce remedium, summae etiam ancipitis esse effectus, facile quivis perspectum habebit.

7. Demum in intoxicationibus venenis narcoticis, inprimis autem opio inductis multum celebrantur embrocationes frigidae. Eximium earum effectum Wray et Copeland experti sunt. Successit nimirum iis, vitam extinctioni jam proximam, et intoxicatum lethargo profundissimo obrutum resuscitare, — redeunte paulo post conscientia, alia dein remedia potentia in usum tracta, deletheriam horum venenorum vim obtundebant. a)

Quamvis autem affusiones frigidae multis morbis remedium magnae dignitatis offerant, et earum effectus sat citus et luculentus videatur; magnum tamen etiam damnum inferre possunt intempestive imo perverse adhibitae; ubi adeoque aegrorum miseras augebunt et mortem inducent. Ut itaque earum applicatio medicum prudentem, et in effectus ab iis obtentos nunquam non attentum desideret. Prohibentur vero embrocationes frigidae:

1.) In congestionibus eminentioribus versus encephalon, indolis ceteroquin activae. In simili casu evacuationes sanguinis pro ratione adjunctorum nunc universales nunc locales solum praemittere oportet, quibus institutis et affusiones dictae suum sibi locum vindicare poterunt.

2.) In maximo adynamiae gradu. Effectus enim earum beneficus a reactione corporis dependet, — quae in statu asthenico tam eximio nulla ratione contingere potest, — imo quod plus, in tali casu ipsae vires, nunc quidem modicissimae praesentes penitus exhauriuntur, et apoplexia nervosa inducitur.

a) Lond. Med. Repository. 1822. Juli. pag. 26—29. —  
Rust's Magazin der gesammten Heilk. B. XV. S. 390.



3.) Phlogoses graviores organorum pectoralium et abdominalium, — ubi morbi exasperatio facillimo negotio adduci potest.

4.) Crises benignae, imprimis per cutim contingentes, — Errorem certe gravissimum committunt ii medici, et aegris damnum saepe irreparabile inferunt, qui in morbis exanthematicis, efficacia affusionum frigidarum seducti, — ab his unice sanationem morbi expectant, hinc ea etiam semper, et nullo prorsus contraindicationum et reliquorum adjunctorum respectu habito, adhibent, — maluntque aegrorum miserias augere, quam praeconceptam suam opinionem deserere. Sequentia autem symptomata ominosa intempestivum et perversum affusionum frigidarum usum comitantur: Exanthema laete florens recedit, sudor cutaneus, benignam moliens crism, supprimitur, inflammationes membranarum mucosarum, serosarum, imo et viscerum nobilissimorum, lege consensus et antagonismi, caput extollunt, character febris in deteriorem vergit, loco salutis mors demum adducitur.

Quamvis autem embrocationum frigidarum usum medicus in casu individuali maxime indicatum esse censeat, semper tamen summis adhibitis cautelis eas instituere non negligat. Hae vero cautelae ad sequentes reduci possunt: ut morborum dictorum initio, aut dum ad acme elati sunt, instituantur, ut corpus post finitum actum citissime et sollicite abstergatur, regimen strictum, moderate calidum in lecto ordinetur, et omne refrigerium summopere arceatur. — Aptissime instituuntur tempore exacerbationis febrilis, ubi vero febris comes remissiones suas celebrat, aut horripilationes sentiuntur, saepius aegrum invadentes, aut pro tempore suspen-

dantur, aut penitus intermittantur. — In similibus casibus ipse cel. Currie, auctor hujus methodi medendi, pessimos inde vidit effectus; quapropter etiam severe monet in ordinatione remediorum dictorum, medicos cautos, et in omnia adjuncta attentissimos esse debere.

### Balnea frigida topica seu localia.

Illa dicuntur, ubi non totum corpus, sed pars ejusdem solum effectum aquae frigidae experitur. — Pro diversitate organi patientis, aut effectus producendi, partes certae corporis aut immerguntur aquae frigidae, aut linteamina eadem saturata et imbuta corpori adplicantur, aut demum vesica animalis, aquam frigidam, glaciem, nives tenens, parti indicatae apponitur.

Eximia eorum efficacia in sequentibus casibus saepissime jam satisfecit medicorum votis:

1.) In debilitate et relaxatione topica, — ubi qua remedium tonicum, roborans egregie prosunt. Sic laudantur lotiones frigidae thoracis in morbis chronicis pectoris; per debilitatem topicam sustentatis; commendantur dein eae, vel quod aptius censetur a quibusdam, fomentationes frigidae, in pollutionibus diurnis et nocturnis morborum, saepissime nempe recurrentibus, in fluore albo chronico, quem sola debilitas et laxitas sustentat, in blenorrhoea urethrali indolis ejusdem.

2.) In haemorrhagiis non solum post vulnera illata, aut operationes chirurgicas supervenientibus, ubi iisdem utique carere nullatenus possumus, verum in haemorrhagiis internis etiam, uti

metrorrhagia praecipiti, haemoptoe rebeli, ceteris remediis pertinaciter resistente.

3.) In contusionibus, luxationibus, fracturis ossium. — Fatales horum exitus in inflammationem, suppurationem, echymosim et extravasata, optime et fors unice, per promptam et sine mora institutam aquae frigidae adplicationem evitari possunt.

4.) In phlogosibus tam internis quam externis, postquam depletiones sanguineae, pro re nata nunc universales nunc locales praemissae fuerunt, uti hernia incarcerata, phlogosi encephali etc. — Brefeld a) etiam in dysenteria promittit auxilium ab adplicatione aquae frigidae ad abdomen, quod tamen consilium hucusque paucissimi medicorum secuti sunt.

5.) In affectionibus nervosis indolis spasticae, uti colica, cardialgia, ischuria spastica. Et hic cautissime in usum trahi debebunt.

6.) In congestionibus passivis, uti cephalaea, vertigine, debilitate visus. — In scotomia, Galis *mouches volantes* dicta, quae orientem comitatur amaurosism, et aegros maculae nigrae ante oculos volitantes vexant, — multi epithemata frigida profuisse contendunt.

7.) Meteorismus, feбри adynamico nervosae accedens, tympanitis, feliciter profligatus est fomentationibus frigidis.

8.) Majoris sane et comprobatae virtutis habetur efficacia aquae frigidae topice adplicitae in ambustionibus, uti cel. Lieutaud et Dzondi experti sunt.

9.) Tandem prophylacticae vires tribuuntur lotionibus frigidis contra decubitus. Jubent ni-

---

a) J. H. Brefeld: Aufsätze über verschiedene Gegenstände der Arzneilehre. S. 253.

mirum multi auctores, ubi sub morbis diuturnioribus, imprimis febribus adynamico nervosis, putridis, cutis rubet, hanc saepius de die aqua lavare. — Imo contra ipsum decubitum praesentem jam, optatu cum effectu adhibetur haec methodus.

### Fomentationes frigidae.

In iis prae ceteris casibus trahuntur in usum, ubi actio frigoris primaria in loco quopiam determinato producenda et sustentanda est, et ubi non derma solum, sed organa etiam profundius sita et recondita frigoris effectum experiantur necesse est. — Virtus eorum eximia in caloris animalis detractio sita est, et magna insuper vi reперcutiente, qua pollent, vi cujus congestiones sanguinis in parte affecta arcent. Hinc in iis morborum casibus, ubi medicus frigoris effectum totalem intendit, et reactionem corporis molitur, lotionibus frigidis sub omnibus adjunctis cedere debebunt.

Casus individuales, ubi fomenta frigida cum fructu adhibentur, innumeri sunt, qui jam ex antea dictis facili negotio erui possunt. Aestatis tempore, dum temperatura aquae magis ad tepidam vergit, ad glaciem confugimus, quae linteo vel vesica excepta applicatur.

Capiti imponuntur in congestionibus ad encephalon, sive febris comes adsit, sive non, in deliriis furiosis, febre adynamico — nervosae et maniae supervenientibus, imprimis dum calor magnus accusatur, et a medico re ipsa tangitur; dein in phlogosibus cerebri, ejus velamentorum, in laesionibus capitis, hydrocephalo, sub stadio praecipuis inflammatorio, insolatione, apoplexia

sanguinea, cephalaea, a congestionibus sanguinis nata, imo et cephalalgia chronica etc.

*Pectori* sub similibus morborum speciebus applicantur, uti in haemoptoe praecipiti et vitae periculum minanti, quam deficiens vasorum contractilitas comitatur, — cardiopulmo. Svadent nonnulli, inter quos Sarcome eminent eorum usum etiam in phlogosisibus pulmonum; experientia tamen effectum eorum minus comprobavit. Quod nec mirum videbitur illi, qui perpenderit, frigus plasticam sanguinis crasim, quae cum pneumonia eminenti gradu incedit, infringere non valere. Iis tamen pulmonum affectionibus, quae congestionem magis quam inflammationem sustinentur, auxilium fomenta frigida, caute tamen adhibita, non denegabunt.

*Abdomini* imponuntur in haematemesi, metrorrhagia, haemorrhoidibus fluentibus profusis. Verum et hic eorum usus arctissimis circumscribendus erit limitibus. Magis adhuc problematice agunt in meteorismo, dysenteria.

Juvabit dein commemorasse, medicos Angliae audaces, in arthritide etiam eorum usum fecisse. Fovebant nimirum his epithematibus articulos affectos; — hac autem methodo arthritidem retrogradam facili negotio fieri, recessus autem hos, pro dignitate organi affecti morbum exasperare, imo lethum adducere posse nemo erit qui non perspiciet.

In commemoratis his casibus epithemata dicta sine intermissione, et ad decrementum symptomatum morbosorum usque adhibenda, et pro re nata saepius renovanda erunt. Sepositis autem, partis affectae regimen frigidiusculum observandum erit, ne reactio omnes conatus eludens insequatur.

## Lotiones frigidae.

Haec est methodus refrigerans communissima in febris, ubi minor earum vehementia, mitius etiam exigit tractamen. Indicationes pro iis adhibendis ex supra prolatis desumi possunt. Plurimi medicorum timentes effectum embrocationum majorem, iis lotiones substituunt. Fiunt vero ea ratione, ut spongia, aqua temperaturae desideratae gradum habente, saturetur, et sic lotiones, nunc per majorem, nunc per minorem cutis plagam instituantur. Partes hae, postquam lotae fuerunt, repente et sollicite abstergantur, regimenque uti postaffusiones observetur. Quodsi symptomata morbosa increverint, lotiones reiterandae erunt. Adhibentur praeterea in omnibus casibus, ubi balnea frigida proficua censuimus, ut irritabilitas excedens, laxitas et atonia, vel et debilitas non tantum in dermatico systemate, sed in interioribus quoque organis conspicua compescatur. Tam effectus mitiores lotionum frigidarum, quam applicatio minoribus conjuncta molestiis, usum eorum frequentiore et faciliorem reddunt. Hinc ubi malum mitius est, vel ad certas duntaxat corporis partes restrictum, sufficit illud mitioribus etiam adgredi remediis. — Commendantur demum ad compescendam sensilitatem excedentem organorum genitalium, — ad roborandum thoracem, et ad tollendas levioris gradus affectiones catarrhosas organorum pectoris.

## Semicupia frigida.

Dum nimirum corpus usque ad umbilicum aquae immergitur; etiam sunt commendata contra

morbos quosdam universales. — Usus tamen eorum rarissimus fit jam vel ideo, quod sanguinis torrentem ad pectus, encephalon deducant, et eo ipso diversa producant mala.

### Pediluvia frigida.

In usum trahuntur in contusionibus et aliis laesionibus pedum, ut exitus earum in tumorem, inflammationem validiorem, imo et suppurationem praeventatur. — Laudantur a cel. Richter in metrorrhagia praecipiti indolis spasticae, imo et ad praecavendos insultus arthriticos. Quid quod Grant ea remedium maxime conveniens esse dicat, ad sufferendos hos dolores arthriticos! — Quanta vero hic praecautio opus sit, et tunc etiam quam ambiguae sint virtutis haec pediluvia, nemo est qui non perspiciet. — Communissime vero adhibentur scopo diaetetico ad mundandos pedes. Verum et hic cautelis certis subjiciendus erit eorum usus; cum experientia constet, diversa inde exoriri posse mala, uti essent catarrhi, enteritides, colicae rebelles etc. Hinc jam patet, quam male sibi consulant, qui sudoribus pedum habitualibus vexati, ad usum balneorum frigidorum confugiunt.

Sufficiat denique *Maniluviorum* simplicem fecisse mentionem, ut quae propter limitatam suam actionem, in morbis universalibus haud adhibentur. — In malis autem localibus, laesionibus utpote traumaticis, maxime dignitatis efficere remedium, ex supra allatis abunde patet.

### De usu diaetetico balneorum frigidorum.

Cum balnea frigida non solum qua pharmacum, sed et qua praesidium diaeteticum in usum

imo et abusum vocentur, de his quoque quaedam adnotasse juvabit. — Multi effectu horum balneorum, in pluribus casibus salutari seducti, horum usum omni tempore svadebant, et eorum laudes plenis canebant buccis. Qua ex causa assecebant, aetatem jam teneriorem iis adsvefaciendam esse, — nam quid magis desiderandum et optandum, quam ut aetate jam puerili corpori firmitas addatur?

Teneriori autem aetati balnea frigida prorsus non, vel rarissimis solum in casibus benefica evadere posse, supra jam monuimus. Jam Galenus ait: „Corpori crescenti balnea haec non conducere.“ Quo magis autem haec aetas adjuvenilem vel virilem adscendit, quam major in omnes potentias nocentes resistentia distingvit: eo magis proficius erit eorum usus. Adulti, sani ceteroquin, balnea frigida bene ferunt, imo his et natatus, diebus aestivis, in fluminibus, a radiis e sole emanantibus, temperatis, commendari meretur, — ast non inconditionate, — nec justo saepius. Temeritatis hujus effectus noxios saepius nobis experiri licet. Homines vero malo quopiam laborantes nunquam prius balnea frigida ingredi deberent, quam medico prudente in consilium tracto.

Ceterum moderamen in omnibus rebus, imprimis autem regimen diaeteticum congruum, motus in aere puro crebrius institutus, abstinentia ab iis quae corpus effaeminare valent: valentiora certe erunt praesidia diaetetica, quam usus justo frequentior balneorum frigidorum.





## Theses defendendae.

1.

Balnea frigida roborant, excitant, debilitant corpus organicum vivum.

2.

Usus diaeteticus balneorum frigidorum arctioribus circumscribendus foret limitibus.

3.

Medicinae irrisores, aut stultitia aut nequitia excellunt.

4.

Medicus, pulsu metiens vires, fallitur.

5.

Plus vidisse, quam legisse plus prodest, quam contra.

6.

Contagiorum cum generatione comparatio pulcherrima.

7.

Prognosis vera optimum medici criterium.

8.

Eruta morbi indole, Therapia facilis.

9.

Non omnis nevrosis nervinis tractanda.

10.

Febris puerperalis non eundem ubique gerit characterem.

11.

Scarlatina absque exanthemate adhuc hypothesis.

12.

Physiologia est basis medicinae.

13.

Exstirpatio bulbi in fungo medullari superflua.

14.

Miasma et contagium probe ab invicem distinguenda.

